

sponsum et sponsam ante altare genuflexos. Interim minister (ubi sic fieri consuevit) velet serico velamine candido, et purpureo, si commode fieri possit, sponsi scapulas, sponsæ vero caput; sed mos est quibusdam jugale ponere super humeros utrisque. Tunc Sacerdos dicit:

Orémus.

Propitiare, Dómine, supplicatióibus nostris; et institútis tuis, quibus propatiónem húmáni géneris ordinásti, benígnus assiste; ut quod, te auctóre, júngitur, te auxiliánte, servétur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum . . .
R. Amen.

Orémus.

Deus, qui potestáte virtútis tuæ de nihilo cuncta fecísti: qui, dispósitis universitátis exórdiis, hómini ad imáginem Dei factó ideo inseparábilē mulieris adjutórium condidísti, ut femíneo córpori de virili dares carne princípium, docens, quod ex uno placuisset instituí, numquam licére disjúngi: Deus, qui tam excellenti mystério conjugálem cópulam consecrásti, ut Christi et Ecclésiæ sacraméntum præsignáres in fœdere nuptiárum: Deus, per quem múlier júngitur viro; et societas principáliter ordináta, ea benedictióne donátur, quæ sola, nec per originális peccáti pœnam, nec per dilúvii est abláta senténtiam: respice propitiús super hanc fámulam tuam, quæ maritali júngenda consórtio, tua se expetit protectióne muniri: sit in ea jugum dilectiúnis, et pacis: fidélis, et casta nubat in Christo, imitatríxque sanctárum permáneat feminárum: sit amábilis viro, ut Rachel: sápiens, ut Rebécca: longæva, et fidélis, ut Sara: nihil in ea ex áctibus suis ille auctor prævaricatiúnis usúrpet: nexa fidei, mandatisque permáneat uni thoro juncta: contáctus illícitus fúgiat: múniat infirmitátem suam róbores disciplinæ: sit verecúndia gravis, pudóre venerábilis, doctrínis cœlestibus erudíta: sit fœcúnda in sóbole, sit probáta, et innocens, et ad beatórum réquiem, atque ad cœlestia regna pervéniat: et vídeant ambo filios filiórum suórum usque in tértiam, et quartam generatiónem; et ad optátam pervéniant senectútem. Per eúndem Dóminum. R. Amen.

Tunc sacerdos reversus ad medium genuflectit, surgit, accipit patenam, et dicit: *Líbera nos . . .*, et reliqua more solito: et postquam sumpserit sanguinem, communicet sponso, et prosequatur Missam. Dicto *Benedicámus Dómino . . .*, vel si Missæ illius diei conveniat, *Ite Missa est . . .*, Sacerdos antequam det benedictionem, conversus ad sponsum et sponsam dicat:

Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob sit vobíscum; et ipse adimpleat benedictiónem suam in vobis, ut videátis filios filiórum vestrórum usque ad tértiam, et quartam generatiónem; póstea vitam ætérnam habeátis sine fine, adjuvánte Dómino nostro Jesu Christo. Qui cum Patre, et Spíritu sancto vivit et regnat Deus, per ómnia sæcula sæculórum. R. Amen.

Postea minister aufert velamen, et jugale. Deinde Sacerdos oratione gravi admonet conjugatos vulgari sermone in hunc modum:

Ya que habeis recibido las bendiciones segun la costumbre de la Iglesia, lo que os amonesto es, que os guardéis lealtad el uno al otro, y en tiempo de oracion, y mayormente en ayunos y festividades, tengais castidad. El marido ame á la mujer, y la mujer ame al marido; y que permanezcais en el temor de Dios.

Postea aspergat eos aqua benedicta et det benedictionem, et dicat, ut solitum est, Evangelium sancti Joannis *In principio erat Verbum . . .*, et tradat sponsam sponso per manum dexteram, et dimittat eos in pace dicens:

Compañera os doy, y no sierva: amadla como Cristo ama á su Iglesia.

DE SECUNDIS NUPTIIS.

Secundæ nuptiæ non sunt benedicendæ. Illæ vero censentur secundæ (ut non benedicantur) quæ sunt secundæ ex parte feminæ, quamvis sint primæ ex parte viri. Nec refert, an ipsa vidua secundo nubens sit virgo, vel non, sed an sit semel benedicta: unde quæ semel nupsit, sed ante benedictiones receptas vidua facta est, cum postea iterum nubit, benedicenda est: et quæ semel est benedicta, non est iterum benedicenda. In ejusmodi autem nuptiis non benedicuntur, nec dantur arrhæ, nec annuli, nec ponitur velamen, nec jugale, nec dicitur Missa de nuptiis, sed dumtaxat hæc fient, quæ sequuntur. Sacerdos indutus ut supra, accedit ad nubentes existentes in ingressu ecclesiæ, et illos aspergit aqua benedicta, introducit eos in ecclesiam dicendo Psalmum *Beati omnes, qui timent Dóminum.* et statim, prætermisiss omnibus aliis, audiunt Missam, quæ pro illis dicenda est, semoti ab altari. Dicenda est Missa de officio occurrenti, si sit festum duplex, aut dies dominica: in aliis diebus potest dici Missa votiva, juxta illorum devotionem, dummodo non sit Missa ordinaria pro sponso, et sponsa, nec in ea dicatur aliquid ex iis, quæ sunt inserta in dicta Missa: et peracta Missa, dicatur super illos genuflexos ante altare sequens Oratio:

Orémus.

Respice, Dómine, super hanc conjunctiúnem tuam, ut sicut misísti sanctum Angelum tuum Raphaélem, pacíficum Tobíæ, et Saræ filiæ Raguélis cómitem, ita dignéris, Dómine, mittere benedictiónem tuam super hos fámulos tuos, ut in tua voluntáte permáneant, et in amóre tuo vivant, et senescant, et multiplicéntur in longitudínem diérum. Per Dóminum.

Benedictio Dei Pa † tris, et Fí † lii, et Spíritus † sancti descéndat super vos, et máneat semper. Amen.

Et dicta ad eos exhortatione, ut supra, aspergit eos aqua benedicta, et dicit: *Ite in pace.*

BENEDICTIO AGRORUM,

UT AB EIS LOCUSTÆ, BRUCHI, ET ALIA ANIMALIA NOXIA EXPELLANTUR.

Sacerdos indutus superpelliceo, et stola violacei coloris, veniens ad agrum, ubi sunt locuste, bruchi, vel alia animalia noxia, dicat:

V. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

R. Qui fecit cœlum et terram.

V. Dómine, exaúdi oratiónem meam. R. Et clamor meus ad te véniat.

V. Dóminus vobíscum. R. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Preces nostras, quæsumus, Dómine, cleméter exaúdi ut qui juste pro peccátis nostris affligimur, et hanc vérmium (seu múrium, bruchórum, ávium, locustárum, vel aliórum animalium) calamitátem pátimur, pro tui nóminis glória ab ea misericórditer liberémur, ut per poténtiam tuam expúlso nulli nóceant, et hos agros (seu has véneas, aut aquas, aut hos hortos) intáctos (vel intáctas) dimittant; quátenus quæ ex eis orta fúerint, tuæ majestáti deserviant, et nostræ necessitáti subvéniant. Per Christum Dóminum nostrum. R. Amen.

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, bonórum ómnium auctor et conservátor, in cujus nómine omne genu fléctitur, cœlestium, terréstrium, et infernórum: concéde, ut quod de tua misericórdia confísi ágimus, per tuam grátiam, effícacem consequámur efféctum, quátenus hos vermes, (vel mures, aves, locústas, aut ália

animália nóxia) segregádo ségrege, exterminádo extérmines, ut ab ista calamitate liberáti, gratiárum actiónes majestáti tuæ referámus. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

Orémus.

Deus, qui famulórum tuórum Móysis et Aarónis ministério ab Ægyptiis pro glória nóminis tui locústas, bruchos, cínifes, aliásque plagas (scilicet justitiæ tuæ in peccatóres flagélla) avertísti, a filiis quoque Israël prohibuísti: a pópulo in te credénte símiles calamitates aufer, ut poténtiam tuam, et beneficéntiam prædicémus. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

Orémus.

Largiri et conserváre fructus terræ dignáre, Dómine Deus noster, ut temporálibus gaudeámus auxiliis, et proficiámus spiriúalibus incrementis. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

Orémus.

Orámus te, Dómine Deus noster, ut hos agros (*aut* has vineas, *aut* hos hortos) serénis óculis, hilaríquæ vultu respícere dignéris; tuámque super eos (*vel* eas) mitte bene † dictiónem, ut non grandio subrípiat, non turbo subvértat, non vis tempestátis detrúncet, non æstus exúrat, non animália nóxia corródat, neque inundatio plúviæ extérminet; sed fructus incólumes, uberésque úsui nostro ad plenam maturitátem perdúcas. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

Benedictio Dei omnipoténtis, Pa † tris, et Fí † lii, et Spíritus † sancti descéndat, et máneat super hos agros (*aut* has vineas, *aut* hos hortos) et eórum fructus. *R.* Amen.

Pro aquis infectis.

Orémus.

Dómine Jesu Christe, qui Jordánis flumen benedixísti, et in eódem baptizátus aquas purificásti, ut eleméntum salúbre efficerétur in remissionem peccatórum: has aquas quoque bene † dicere, et sanctificáre dignéris, ut nihil eis nóxium, nihil péstilens, nihil corrúmpens máneat, sed ómnia pura et munda in eis efficiántur; ut quæ ad usum hóminum ex eis creáta sunt, cum glória tua et salute nostra sumámus. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

Mox aspergat agros, vineas, hortos, vel aquas aqua benedicta. Si maxime ingruerit dictarum bestiarum tribulatio, poterit clericus, populo comitante, ad locum infectum accedere, ut in die sancti Marci, ad quem cum perventum fuerit, aspergantur termini aqua benedicta, canendo pro temporis diversitate Vidi aquam egrediéntem . . . vel Aspérget me, Dómine . . . Legantur, aut cantentur quatuor Evangelia ad quatuor plagas mundi.

V. Sequéntia sancti Evangelii secúndum Matthæum.

R. Glória tibi, Dómine.

Cap. 2.

Cum natus esset Jesus in Bétlehem Juda in diébus Heródis regis, ecce Magi ab oriénte venérunt Jerosólymam, dicéntes: † Ubi est qui natus est rex Judæórum? Vídimus enim stellam ejus in oriénte, et vénimus adoráre eum. Aúdiens autem Heródes rex, turbátus est, et omnis Jerosólýma cum illo. Et cóngregans omnes príncipes sacerdotum, et scribas pópuli, seiscitabátur ab eis, ubi Christus nascerétur. At illi dixerunt ei: In Bétlehem Judæ: sic enim scriptum est per Prophétam: Et tu Bétlehem, terra Juda, nequáquam mñima es in princípibus Juda: ex te enim éxiet dux, qui regat pópulum meum Israël. Tunc Heródes, clam vocáti Magis, diligénter dñdicit ab eis tempus

stellæ, quæ apparuit eis: et mittens illos in Bétlehem, dixit: Ite, et interrogáte diligénter de púero: et cum invenéritis, renuntiáte mihi, ut et ego véniens, adórem eum. Qui cum audissent regem, abiérunt. Et ecce stella, quam víderant in oriénte, antecedebat eos, usque dum véniens staret supra, ubi erat puer. Vidéntes autem stellam, gavísi sunt gaúdio magno valde. Et intrátes domum invenérunt púerum cum María matre ejus, et procidéntes, (*hic genuflectitur*) adoravérunt eum. Et apértis thesaúris suis, obtulérunt ei múnera, aurum, thus, et myrrham. Et respónso accépto in somnis ne redírent ad Heródem, per áliam viam revérsi sunt in regiónem suam.

V. Sequéntia sancti Evangelii secúndum Marcum.

R. Glória tibi, Dómine.

Cap. 16.

In illo témpore: Recumbéntibus undécim discípulis, apparuit illis Jesus et exprobrávit incredulitátem eórum, et durítiam cordis: quia iis, qui víderant eum resurrexisse, non credidérunt. Et dixit eis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangelium omni creatúræ. Qui crediderit, et baptizátus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnábitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia efcient: linguis loquéntur novis: serpéntes tollent, et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit: super ægros manus impónent, et bene habébunt. Et Dóminus quidem Jesus, postquam locútus est eis, assúptus est in cælum, et sedet a dextris Dei. Illi autem profécti, prædicavérunt ubique, Dómino cooperánte, et sermónem confirmánte, sequéntibus signis.

V. Sequéntia sancti Evangelii secúndum Lucam.

R. Glória tibi, Dómine.

Cap. 1.

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Náza-reth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen vírginis María. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plena; Dóminus tecum: benedicta tu in muliéribus. Quæ cum audisset, turbáta est in sermóne ejus, et cogitábat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concépies in útero, et páries filium, et vocábis nomen ejus JESUM. Hic erit magnus, et Filius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum: † Quómodo fiet istud: quóniam virum non cognosco? Et respóndens Angelus, dixit ei: Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Filius Dei. Et ecce Elisabéth cognáta tua, et ipsa concépit filium in senectúte sua: et hic mensis sextus est illi quæ vocátur stérilis; quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem María: Ecce ancilla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum.

V. Initium sancti Evangelii secúndum Joánnem. *R.* Glória tibi, Dómine. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum . . . *ut in Rituali.*

BENEDICTIO TERRÆ SEMINATÆ, SEU PLANTATÆ.

V. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. *R.* Qui fecit cælum et terram.
V. Dóminus vobíscum. *R.* Et cum spírítu tuo.

Orémus.

Bene † dicat nos Deus, Deus noster, et terræ nostræ ubertatem concédât, in cénuplum amplíficet fructus ejus, ut venientes in exultatione manipulos nostros colligámus. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

BENEDICTIO PRO ANIMALIBUS INFIRMANTIBUS.

Primo animalia aspergantur aqua benedicta. Postea Sacerdos dicat:

V. Adjutorium nostrum in nómine Dómini. *R.* Qui fecit cœlum et terram.

V. Dómine, exáudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat.

V. Dóminus vobíscum. *R.* Et cum spírítu tuo.

Orémus.

Misericórdiam tuam, Dómine, súplices exorámus, ut hæc animalia, quæ gravi infirmitate vexántur, tua bene † dictione sanéntur, exstinguátur in eis omnis diabólica potestas, neque ultérior agrótent; esto eis vitæ defénsio et remédium sanitátis. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

Orémus.

Deus, qui laborántibus homínibus, étiam de mutis animalibus solátia subrogásti: suppliciter te rogámus, ut sine quibus non álitur humana conditio, nostris fácias úsibus non perire. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

ORDO SERVANDUS

IN PROCESSIONIBUS GENERALIBUS, QUÆ FIUNT PRO DEFUNCTIS.

Quando fit commemoratio generalis pro defunctis in die commemorationis omnium defunctorum fidelium, et in feria secunda cujuscumque hebdomadæ extra tempus paschale, et in primo die cujuscumque mensis, ut habetur in Breviario; dicta Missa pro defunctis, ut in Missali, fit processio pro ipsis hoc ordine: præcedit acolythus cum vase aquæ benedictæ, aspergens ecclesiam, ubi sunt sepulturæ: sequitur subdiaconus cum cruce, medius inter duos ceroferarios cum candelabris, et cereis accensis: deinde clerus per ordinem: postea diaconus cum libro ante pectus: ultimo celebrans cum pluviali nigro. Interim cantantur responsoria sequentia, omnia, aut tria, aut duo, pro opportunitate temporis, ita ut ultimo loco cantetur responsum *Libera me, Dómine . . . cum suis versibus et oratione, ut infra. In prima statione R. Credo quod Redemptor . . . ut in Rituali, cum V. Requiem æternam . . . Dicto Kyrie eléison . . . Sacerdos dicit alta voce Pater noster . . . Et recipiens de manu diaconi aspersionem, aspergit locum, qui est ante ipsum. Deinde diacono tenente librum apertum, dicit V. Et ne nos. R. A porta inferi . . . V. Requiescant . . . V. Dómine, exáudi . . . V. Dóminus vobíscum.*

Oratio.

Deus, qui inter apostólicos Sacerdotes, fámulos tuos pontificáli seu sacerdotáli fecisti dignitate vigére: præsta, quæsumus; ut eorum quoque perpétuo aggregéntur consórtio. Per Christum Dóminum nostrum.

In secunda statione *R. Qui Lázarus resuscitásti . . . ut in Rituali, Kyrie, eléison . . . Pater noster . . . cum VV. solitis.*

Oratio.

Deus, vénisæ largítor, et humanæ salútis amátor quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis fratres, propínquos et benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt, beáta María semper vírgine intercedente cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitudínis consórtium pervenire concédas. Per Christum Dóminum nostrum.

In tertia statione *R. Dómine, quando véneris . . . ut in Rituali, Kyrie, eléison . . . Pater noster . . . cum VV. solitis.*

Oratio.

Deus, qui nos patrem et matrem honorare præcepisti, miserere cleménter animábus patris ac matris meæ, eorumque peccáta dimitte: meque eos in æternæ claritátis gaudio fac vidére. Per Christum Dóminum nostrum.

In quarta statione *R. Meménto mei, Deus . . . ut in Rituali, Kyrie, eléison . . . Pater noster . . . cum suis VV. solitis.*

Oratio.

Absólve quæsumus, Dómine, ánimas famulorum famularumque tuarum ab omni vínculo delictorum, ut in resurrectionis glória inter sanctos et electos tuos resuscitati respírent. Per Christum Dóminum nostrum.

Hic dicantur cetera responsoria, si quæ dicenda sunt. Si itur ad cœmeterium, dicatur *R. quod occurrit suo ordine.*

Oratio.

Deus, cujus miseratióne animæ fidélium requiescunt, fámulis et famulábus tuis ómnibus hic et ubique quiescéntibus: da propítius véniam peccatórum; ut a cunctis reátibus absolúti, tecum sine fine læténtur. Per Christum Dóminum nostrum.

In ultima statione *R. Libera me, Dómine, de viis . . . ut in Rituali, cum versibus, etc.*

Oratio.

Fidélium Deus ómnium cónditor et redemptor, animábus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgéntiam, quam semper optaverunt, piis supplicatióibus consequántur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. *R. Amen.*

Et dicto *Requiem æternam . . . et V. Requiescant in pace . . . revertuntur eodem ordine ad sacristiam. In ista statione dicitur in die commemorationis omnium defunctorum R. Libera me, Dómine, de morte . . . ut in Rituali, cum suis versibus, et oratione Fidélium . . .*

ORDO FACIENDI ABSOLUTIONEM

EX MISSALI RECOGNITO PER CLEMENTEM VIII.

Si distribuendæ sunt candelæ, distribuantur post epistolam, et accendantur ad evangelium, ad elevationem sacramenti, et post Missam, dum fit absolutio. Si habendus est sermo, habeatur, finita Missa, ante absolutionem. Finita Missa, si faciendæ est absolutio, celebrans retrahit se ad cornu epistolæ, ubi exiit casula, et deposito manipulo, accipit pluviale nigrum: subdiaconus medius inter duos acolythos cum candelabris accensis defert crucem, sicut in processionibus, præcedentibus duobus aliis acolythis, uno cum thuribulo, et navicula incensi, alio cum vase aquæ benedictæ, et aspersione: sequitur celebrans, facta prius altari reverentia, et diaconus a sinistris ejus. Subdiaconus cum cruce sistit se ad pedes tumuli, seu lecticæ mortuorum contra altare, medius inter dictos acolythos tenentes luminaria: celebrans vero ex alia parte in capite loci inter altare, et tumulum, aliquantulum versus cornu epistolæ, ita ut crucem subdiaconi respiciat; a sinistris ejus diaconus, et prope eum alii duo acolythi deferentes thuribulum, et vas aquæ benedictæ. Interim cantatur *R. Libera me, Dómine . . . et circa illius finem celebrans ponit incensum in thuribulum, benedicens illud more solito, ministrante diacono naviculam, et finito Kyrie, eléison, incipit intelligibili voce Pater noster. et secreto prosequendo*

reliqua, accipit aspersorium de manu diaconi, et facta altari reverentia, comitante eodem diacono a dextris, et tenente fimbriam anteriorem pluvialis, circumiens tumulum aspérigit illum aqua benedicta, ter a parte dextera, et ter a sinistra. Cum transit ante crucem, profunde inclinat, diaconus vero genuflectit: postea de manu ejusdem diaconi accipit thuribulum, et eodem modo, quo asperserat, incensat. Et rediens ad pristinum locum, diacono tenente librum, junctis manibus dicit *V.* Et ne nos indúcas . . . ut in Rituali.

OBSERVATIO NOTANDA.

Nemo cum viderit, quod dicitur in Rituali ad finem Missæ dicendæ corpore præsentem, subdiaconum scilicet cum cruce sisti debere in absolutione faciendâ ad caput defuncti, Sacerdotem vero ad pedes; in Missali vero e contrario, subdiaconum cum cruce ad pedes tumuli, et sacerdotem ad caput, Rituale et Missale sibi invicem contradicere existimet, aut suspicetur: Missale enim loquitur de absolutione faciendâ corpore non præsentem; Rituale vero quando corpus præsens est. Tunc enim si defunctus est sæcularis, cum juxta Rituale pedes debeat habere versus altare, fit absolutio, ut præcipit Missale, ac si corpus præsens non esset. Si vero defunctus fuerit Sacerdos, cum caput debeat habere versus altare, contrario omnia contingunt. Sisti enim debet subdiaconus ad caput inter feretrum, et altare; Sacerdos vero ministrans, ad pedes defuncti inter feretrum, et corpus ecclesiæ: et quia in Missali satis expresse dictum fuerat de absolutione faciendâ, et de positione subdiaconi cum cruce, et Sacerdotis celebrantis; ideo Rituale, cum agit de officio faciendâ in exsequiis absente corpore defuncti, de positione subdiaconi cum cruce, et Sacerdotis celebrantis, nihil dicit. Reformavit supradictam rubricam positam in Missali Pii V. Clemens VIII. in Missali quod ejus jussu reformatum prodivit. Nam Missale Pii V. (unde Manuale hanc Rubricam sumpserat) in absolutione subdiaconum cum cruce ponebat ad caput contra altare; celebrantem vero ex alia parte versus altare, cujus contrarium fieri jussit in suo Missali reformato Clemens VIII.

EXORCISMUS

CONTRA IMMINENTEM TEMPESTATEM FULGURUM ET GRANDINIS.

Per signum † crucis de inimicis † nostris libera nos, † Deus noster. In nómine Patris † et Filii, et Spíritus sancti. Amen. Dicitur Symbolum fidei, scilicet Credo in Deum Patrem . . . Deinde Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie eléison. Pater noster . .

- V.* Adjutoriū nostrum in nómine Dómini. *R.* Qui fecit cœlum et terram.
- V.* Sit nomen Dómini benedictum. *R.* Ex hoc nunc et usque in sæculum.
- V.* Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus.
- R.* Et fúgiant qui odérunt eum a fácie ejus.
- V.* Exsurge, Christe, adjuva nos: *R.* Et libera nos propter nomen tuum.
- V.* Dómine, exaúdi oratióem meam. *R.* Et clamor meus ad te véniat.
- V.* Dóminus vobiscum. *R.* Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Dómine Jesu Christe, qui fecisti cœlum et terram, mare, et ómnia quæ in eis sunt; quique flúmini Jordáni benedixisti, atque in eo baptizári voluisti, et tuas sanctíssimas manus, et bráchia sacratíssima in cruce extendisti, quibus ærem sanctificasti: obsecrámus imménsam pietátis et bonitátis tuæ abundantiam, quatenus has nubes, quas ante me, et post me, et supra me, a dextris, et a sinístris, vídeo ærem perturbáre, dissólvere et annihiláre dignéris, ut alligáta

potéstas dæmonum ímpie desæviéntium deficiat, et turbétur ad laudem tui sanctíssimi nóminis, et potentíssimæ majestátis tuæ. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate . . .

Postea conversus ad nubes signet eas signo crucis, dicens: Circúmdet te, nubes, Deus † Pater. Circúmdet te Deus † Filius. Circúmdet te Deus Spíritus † sanctus. Déstruat te Deus † Pater. Déstruat te Deus † Filius. Déstruat te Deus Spíritus † sanctus. Cómprimat te Deus † Pater. Cómprimat te Deus † Filius. Cómprimat te Deus Spíritus † sanctus. Amen.

Obsecratio. Sanctus Matthæus, sanctus Marcus, sanctus Lucas, sanctus Joánnes Evangelísta, qui Christi Evangélium per quátuor mundi partes divulgárun, ipsi suis méritis et précibus hanc tempestátem a término isto, et ab ómnibus christianórum fínibus ab eódem Dómino nostro Jesu Christo obtíneant effugári, et depélli.

EXORCISMUS.

Et ego peccátor, et Christi Sacérdos, (seu mínister) licet indignus, auctoritate, et virtúte ejúsdem Dei et Dómini nostri Jesu Christi summi Imperatóris, non mea poténtia inníxus, et confísus, vobis præcipio, immundíssimi spíritus, qui has nubes seu nébulas concitátis, in virtúte ejúsdem Dei et Dómini nostri Jesu Christi, per † sanctíssimam ejus incarnatióem, per sanctam nativitátem, per baptismum et jejunium ipsius, per ejus sanctíssimam crucem, † et passióem, per sanctam resurrectióem, per admirábilem ascensióem, per treméndum adventum ejus, et júdicium, per mérita intemerátæ sempérque vírginis Mariæ, et sanctíssimi *N.* et per mérita ómnium Sanctórum, ut exeátis ab eis et eas dispergátis in locis silvéstribus et incúltis; quatenus nocére non possint homínibus, animálibus, frúctibus, herbis, arbóribus, aut quibuscúmque rebus humánis úsibus deputátis. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum, qui ventúrus est júdicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. Amen.

Ipsæ vobis imperat, dæmones, qui has nubes commovétis, de quo de nube lúcida dictum est: Hic est Filius meus diléctus, in quo mihi bene complácu. † Ipse vobis imperat, qui sua sacratíssima cruce, et córporis sui sanctíssimi in ea extensióne áërem purgávit. † Ipse vobis imperat, qui per mortem suam vos, princípem vestrum, mortémque devícit, et ligávit, atque æternæ gehénnæ mancipávit ignibus. † Ipse vobis imperat, qui inférno spoliáto, surréxit a mórtuis. † Ipse vobis imperat, qui post quadraginta dies nube susceptus, virtúte sua ascéndit in cœlum. † Ipse vobis imperat, qui ventúrus est júdicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. *R.* Amen.

Et postea ostendat crucem in aëra, dicens: Ecce lignum sanctíssimæ crucis, fúgite, partes advérsæ: vicit enim vos et mundum Dóminus noster Jesus Christus Filius Dei, Imperátor summus, Leo de tribu Juda, Radix David.

Postea aqua benedicta in modum † aspergat quatuor latera. Dicendæ sunt etiam Litanie, si nondum quievit tempestas, Symbolum Quicúmque vult. Antiphona Salve, regina et Sub tuum præsidium. Canticum Benedicite ómnia. cum *V.* Glória Patri in quolibet versu dicti Cantici, deinde

- V.* Benedicámus Patrem et Filium cum sancto Spíritu.
- R.* Laudémus, et superexaltémus eum in sæcula.
- V.* Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix.
- R.* Ut digni efficiámur promissionibus Christi.
- V.* Exsurge, Christe, adjuva nos. *R.* Et libera nos propter nomen tuum.
- V.* Dómine, exaúdi oratióem meam. *R.* Et clamor meus ad te véniat.
- V.* Dóminus vobiscum. *R.* Et cum spíritu tuo.

Oratio.

Omnipotens sempiternus Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare Unitatem: quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniâmur adversis.

Oratio.

Protege, Domine, famulos tuos subsidiis pacis, et beatæ Mariæ semper virginis patrocinio confidentes a cunctis hostibus, et periculis redde securos.

Oratio.

Adomo tua, quæsumus, Domine, spirituales nequitiae repellantur, et aerearum discédât malignitas tempestatum.

Oratio.

Ad te nos, Domine, clamantes exaudi, et æris serenitatem nobis tribue supplicantibus; ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, misericordia tua præveniēte, clementiam sentiâmus.

Oratio.

Largire et conservare fructus terræ dignare, Domine Deus noster, ut temporalibus gaudeamus auxiliis, et proficiamus spiritalibus incrementis. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Potest dici et oratio illius Sancti, in ejus honore constructa est ecclesia, et aliorum Sanctorum, in quibus plus de eorum adjutorio confidimus propter specialem devotionem nostram. Possunt dici et aliæ etiam devotæ orationes cum compunctione, et cordis contritione, implorando semper misericordiam Dei. Et si adhuc tempus tempestuosum perseveraverit, poterunt supradicta pluries repeti.

EXORCISMUS DOMUS A DÆMONIO VEXATÆ.

Sacerdos indutus superpelliceo et stola, dicat: In nomine Pa + tris, et Fi + lii, et Spiritus + sancti. Amen.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit coelum et terram.

V. Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Orémus.

Omnipotens sempiternus Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine digne perfectèque ab eis agitur, a te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, ut quod modo visitari sumus visites, et quidquid benedicturi sumus, bene + dicas, et ad ea, quæ acturi sumus dexteram tuæ potentiae extendas, sintque ad nostræ humilitatis intrōitum, Sanctorum meritis, fuga dæmonum, et Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Orémus.

Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum, et omnium bene viventium: Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, te invoco, et nomen sanctum tuum, ac præclaræ majestatis tuæ clementiam supplex depesco; ut mihi auxilium præstare digneris adversus nequissimum spiritum, et ubicumque sit, audito nomine tuo, velociter exeat et recédât. Per eundem Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Conjuratio. Adjuro te, serpens antique, per iudicem vivorum et mortuorum, per factorem mundi, qui habet potestatem mittere te in gehennam, ut ab hac domo festinus discedas. Ipse tibi imperat, maledicte diabole, qui ventis

ac mari, et tempestatibus imperavit. Ipse tibi imperat, qui te de supernis coelorum in inferiora terræ demergi præcepit. Ipse tibi imperat, qui te retrorsum abire præcepit. Audi ergo, sátana, et time, et victus et prostratus recede, adjuratus in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem. *R.* Amen.

Deinde Sacerdos incipiat quindecim Psalmos graduales, et prosequatur quinque priores, aqua benedicta aspergendo loca domus: Psalmus. Ad Dominum cum tribulärer... Psalmus. Levavi oculos meos... Psalmus. Lætatus sum... Psalmus. Ad te levavi oculos meos... Psalmus. Nisi quia Dominus erat in nobis... singulos cum Glória Patri... quibus finitis, dicit: Kyrie, eléison; Christe, eléison; Kyrie, eléison. Pater noster...

V. Et ne nos inducas in tentationem. *R.* Sed libera nos a malo.

V. Domine, exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Orémus.

Domum tuam, Domine, clementer ingredi, et in tuorum cordibus fidelium perpétuam tibi constitue mansionem: et præsta, ut in hac domo nulla malignorum spirituum dominetur nequitia. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Deinde dicantur alii quinque Psalmi, etiam aspergendo loca domus, Psalmus. Qui confidunt... Psalmus. In convertendo... Psalmus. Nisi Dominus... Psalmus. Beati omnes... Psalmus. Sæpe expugnaverunt... singuli cum Glória Patri... Postea dicit: Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater noster...

V. Et ne nos inducas in tentationem. *R.* Sed libera nos a malo.

V. Domine, exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Orémus.

Omnipotens sempiternus Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus assistis, totus operaris: adesto supplicationibus nostris, ut hujus domus sis protector, et nulla hic nequitia contrariæ potestatis obsistat, sed virtute Spiritus sancti et operatione fiat tibi hic primum servitium, et devota libertas exsistat. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Postea dicantur alii quinque Psalmi graduales, aspergendo ut supra loca domus aqua benedicta, Psalm. De profundis... Psalm. Domine, non est exaltatum... Psalm. Meménto, Domine, David... Psalm. Ecce quam bonum... Psalm. Ecce nunc... singuli cum Glória Patri... Quibus finitis, dicit: Kyrie, eléison; Christe, eléison; Kyrie, eléison. Pater noster...

V. Et ne nos inducas in tentationem. *R.* Sed libera nos a malo.

V. Domine, exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Orémus.

Deus, qui in omni loco dominationis tuæ custos et protector assistis: exaudi nos, quæsumus, ut inviolabilis hujus domus permâneat bene + dictio, et beneficia tui muneris universitas, quæ supplicat, mereatur. Per Christum... *R.* Amen.

Postea in principali loco domus legat sequens Evangelium.

V. Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

V. Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

R. Glória tibi, Domine.